



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Hospitale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

reficiati, quam religiosi, debent dicere in choro, nisi ex iusta causa dispensentur. 92. d. c. vii. & quando ex contemptu, vel quādo ecclesia multum, vel notabile damnum incurretur, ex eorum absentia, & non haberent legitimam causam, mortaliter peccant, per dict. capitulum. *fin.* ubi dicitur, quod qui non conuenerit, deponatur à cleto, quod nō sit, nisi propter mortale. Si autem sine contemptu, & ex causa hoc faciant, mortaliter non peccant, ex qua causa, praelati possunt dispensare in hoc, dummodo in priuato dicant.

22 Qv i in choro existens, suū verbum submissa voce dicit, alterum autem audit, secundum Caietanum, ibi, nō satisfacit: ergo mortaliter peccat, si non replicat. Tabu. autem ibi. §. vlti. tenet, quod satisfacit. Prima tamen opinio innititur bonæ rationi, quia talis sic dicens non communicat cum alijs in choro, & consequenter totum officium non dicit, ut præcipitur in d. c. presbyter. de cele. miss. Alij fundant se super consuetudine, quæ si extat, nescio, imò videtur oppositum, quod ferè omnes alta voce dicunt, qui possunt. Mihi magis consonat opinio Caiet. quia super meliori ratione fundari videtur, ut præcepto satisfaciat.

## HOSPITALE.

HOSPITALE constructum absque autoritate Episcopi, & deputati ad hospitalitatem viuente ædificatore, potest ad humanū vsum redire, secundū Pan. id. ead. hæc. de religio. domi. Licet enim cuiusque de domo sua facere hospitale, & si placeat, trahere ad statum pristinum. Ad hoc facit c. inter dilectos. de donatio. Secus autem est, mortuo ædificatore. authentic. de ecclesiastic. titul. §. si quis ædificationem. Intellige nisi aliter ante mortem ordinasset constructor, quod executioni mandari debet, ut in dicto. §. si quis. Hospitale sine autoritate pontificis, etiam cum oratorio construī potest, secundum Hostiensem, sed non debet ibi cele-

brari sine autoritate episcopi. argument. in capitulo vniciusque. de consecratione. distinctione prima. & hoc putat verius. Panormitanus allegat textum capituli. inter dilectos. de donationibus, secundum vnam lectionem. Et idem Ioannes Andreas post Vincen. & Tancre. An hospitalia ad episcopos pertineant, & quis eorum possit esse rector, quia hoc magis ad forum exterius pertinet, quam animar. vide Tabu. & Sil. ibi, quia copiosius tractant. Ego autem pertransco. Hospitalium rectores, si redditus hospitalium in pios vsus non expendunt, excusationem non habent. Ad hoc enim deputati sunt.

## IACTANTIA.

IACTANTIA peccatū incurritur, quando quis se plus quam sit, ut appareat verbis extollit, secundum Thom. secunda secunda. quæst. 112. Est enim species mendacij, ideo iuxta naturam mendacij, mortale, vel veniale iudicandum est. Similiter quia iactator non solum mentitur, sed se laudat, ideo attendendum est, an talis laus sit perniciofa, iocosa, vel officiosa. Tertio, est arrogantia, quam similiter oportet considerare, an sit perniciofa. Quarto, est lucrum, quod quandoque queritur, & tunc considerare oportet, an sit proximo nocuum notabiliter. Quinto, est gloria, de qua oportet videre, an in ea constituatur finis. Sexto, est vanitas, quæ communiter venialis est. Quando ergo iactantia perniciofa est notabiliter proximo ex intentione, aut de aliqua materia contra Deum, vel proximum mortalis est, aliàs venialis, secundum Caietan. ibi. Et secundum Greg. ponitur inter species superbix. Et si iactantia proprie in dictis constat, tamen quandoque in factis inuenitur, quando scilicet facta vim verborum habent.

## IDOLOLATRIA.

IDOLOLATRIA, qua per exteriora signa alteri quam vero Deo diuinus cultus exhibetur, peccatū mortale est, quia creaturam creatori equalem